fragmentarium

6 plenitudo gratiarum est. nam singulis electis singula tribuuntur dona. In spiritu sancto omnis gratia
donorum consistit. ipse enim prout uult. gratiam donorum largitur. Aliis dans sermonem sapientie.
aliis sciencie. aliis fidem. atque ita unicuique uirtute spiritus sancti. diuisio gratiarum tribuitur. et
in omnibus idem unus habetur. Ipse enim est inestabilia docet. que proferre humanus sermo non potest.
Ante aduentum domini tantum prophete. et pauci ex omni populo iusti. donum sancti spiritus merebantur.
Post aduentum autem domini. spiritus sanctus cunctis est credentibus distributus. iuxta quod per prophetam
dominus loquitur dicens. et erit in nouissimis diebus. effundam de spiritu meo super omnem car-
nem. Cunctis enim nunc gentibus gratia sancti spiritus tradita est. Neque in paucis ut in populo israel.
sed in omni credencium multitudine spiritus sancti gratia manet. Aliquando indignis et reprobis
dona sancti spiritus conferuntur. sicut sauli data est prophetia. et balaam. unde et multi in fine
dicturi sunt domino. uirtutes in tuo nomine fecimus. quibus dicturus est dominus. nescio uos
unde estis. Christi aduentum non tantum plebis iudee sancti prophetantes expectauerunt. sed
fuisse et in nationibus plerosque sanctos uiros prophetie donum habentes. quibus per spiritum sanctum
Christus reuelabatur. et a quibus eius expectabatur aduentus. sicut iob. sicut balaam. qui Christi utique
predicauerunt aduentum. Conuersio gentium ueteri populo latebat. sed tamen in consilio dei
erat ut fieret. et tamen a sanctis prophetis occulte per spiritum sanctum predicabatur aduentus Christi. sicut dicit
propheta. Cum appropinquauerint anni cognosceris. dum aduenerit tempus
ostenderis. Nunc ergo reuelatum patet. quod tunc carnalibus latebat. spiritalibus uero no-
tum erat. non dum tamen manifeste dicebatur. eo quod tempus ostensionis non esset.

De ecclesia et heresibus.

16 Semina est ecclesie. pulcritudo una. quam hic bene uiuendo consequitur. Altera
per quod illuc ex retributione glorificabitur. Ecclesie propter Christum gemine tribula-
tionis existunt. id est siue quas a paganis pertulit in martiribus. siue quas ab hereticis
perfert in diuersis certationibus. Utrosque autem per gratiam dei exsuperat. parti ferendo
parti resistendo. Sancta ecclesia catholica sicut male uiuentes in se pacienter tolerat.
ita male uiuentes in se pacienter tolerat. ita male credentes a se repellit. Sancta ec-
clesia contra gentilium atque hereticorum peruicaciam. sum in ope sapienciam. et pacien-
ciam studet. Sed exercet sapiencia. cum temptatur uerbis. Exercetur paciencia. cum
temptatur gladiis. Causa prauitatis heretice doctrinis est propagata ecclesia. Nam
antea simplici tantummodo fide uigebat. hereticorum ergo occasione propagati sunt.
doctores in fide et pacium heresium ecclesie magistri creuerunt. Nam tunc clarius ma

de heret. et pagan.

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. AA 90.14, 1v – Isidorus, Sententiae
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-440m/5301/50356)